

## Appendix ad Ephemerides Latinas

Nro. 79.

*Completens Physico - Oeconomica.**Crocum sativum colendi Ratio.**Conclusio.*

Quamvis autem bulbi Croci sativi in paratas etiam fossulas, stili lignei ope factas, deponi possint, quo minus tamen methodum hanc Crocum plantandi suadeamus, illud obstat; quod appressione stili, ut injecti fossulis bulbi humo obtegantur, iidem, utpote teneri admodum, facillimo negotio lædantur, sicque ferendo fructui inutiles reddantur; tum quod persæpe eveniat; ut bulbi in Cayo hæere cogantur. Post sationem nulla alia re usque messem opus est, quam ut sollicite præcaveatur; ne herbæ inanes internascantur, quas illico radicitus oportet evellere. Mense Septembri, aut, si Cælum minus faveat, Octobri flores coloris violaceo-rubescens formam Tulipæ præferentes comparent, in quibus tria occurrunt stamina, in acumen desinentia, intra hæc tener flavi coloris stilus latet, qui in 3 filamenta longitudinis unius digiti, in extremitatibus quasi auro sriata dissolvitur. Filamenta hæc proprie dictum Crocum constituunt. Primo anno quidem messis pertenuis est; ast tanto ditior secundo &

tertio anno evadit; siquidem bulbi croci 3. imo 4. etiam annis in eodem loco intacti relinqui possint. — Opus collectionis florum matutinis horis, antequam calore solis aperiantur, optime suscipitur, quod quandoque 2. aut 3. hebdomadibus quotidie iterandum est, cum singulis diebus novi flores in conspectum veniant; quamvis interdum eveniat; ut messis tota 4. vel 5. dierum spatio absolvatur. Decerpti flores, & in corbem congesti, domum deferuntur, ibidemque in loco quopiam subfrigido ad paratam contabulationem, aut expansa lintea interea effunduntur, dum otium admittat filamenta ex iisdem extrahendi. In quacunque autem temporis penuria curandum est; ut flores croci eodem adhuc, quo decerpti sunt, die filamentis suis liberentur.

Porro dum filamenta a stilo, cui adhærent, separantur, hæc duo sollicite custodienda esse svadent rei periti: 1. ne filamenta ab invicem divellantur, verum maneant, quantum fieri potest, unita. 2. Ne filamentis quidpiam adhærens remaneat. Primum crocum, postquam persiccatus est, crispum tumidumque reddit, qua forma emptoribus semet plurimum commendat: alterum pretium illius auget, siquidem crocus absque flavis apicibus, qui ponderi incrementum conciliant, magis æstimetur; imo Matronæ nostræ potissimum e præsentia vel absentia apicum flavorum de probitate ejus judicium ferunt. Excerpta ex involucribus florum filamenta croci

non multo post calore candentium prunarum persiccanda sunt; ne proprio humore fermentante corrumpantur, putrescantque, id quod spatio dierum aliquot fieri solet. Hunc in finem in foco culinæ accumulatur carbones igniti debilem calorem spargentes, hique lateribus tribus ad trianguli formam cinguntur: tegulis superponitur cribrum e pilis implexis compaginatam, cui subtilia croci filamenta ingeruntur, leni calore tamdiu torrenda, donec ita reddantur arrida; ut tritu in pulveres comminui possint. Ut vero æquabiliter persiccantur, intra torrendum repetitis vicibus pennæ ope peragitari debent, & ne repentino calore perurantur, curandum est; ut minimum ad 9. pollices a prunis candentibus exaltata sint. Generatim quo lentius tostio ad moderatum ignem instituitur, eo minus e colore suo crocus amittit.

Tostus crocus mox cistulæ imponitur, operculo suo probe claudendus; ne dimissis odoriferis particulis ipse inodorus efficiatur. Dum autem receptaculis suis imponitur, summo opere cavendum est, ne vi adhibita comprimatur; frangeretur enim, & in minima frustilla dissiliret: licebit istud paulo tardius nempe elapsis aliquot horis perficere; postquam enim latens oleum prorumpit, tantam tenacitatem, ac mollitiem induit; ut sine nocumento vi etiam in minus volumen redigi queat. Receptacula dein, in quibus conditus crocus continetur, in loco sicco pro futuro usu asserventur.

Collectis floribus croci folia residua autumni parte, hyeme tota, & vere crescere sinuntur. Circa medium Aprilis, aut nonnunquam primis mensis Junii diebus folia eadem flaccescere incipiunt, quod ubi undique æquabiliter fieri observatum fuerit, secula demetantur, & pecoribus in pabulum porrigitur. Non est autem necesse, omnia eodem tempore desecare; potest id per vices institui ita; ut diebus singulis tantum falcetur, quantum usui pecorum sufficit. Mense Julio ager croco consitus suffoditur, atque a zizaniis purgatur; labor hic mense Augusto repetitur ea adhibita cautela, ne pastino bulbi lædantur.

Postquam cepæ Croci tribus, aut etiam 4. annis in loco quopiam fructificarunt, e terra eximuntur, & ad locum alium transponuntur; neque licebit eas ante evolutum triennium, vel quadriennium ad primum rursus fundum transferre; citius enim ad prius terrenum repositi bulbi debiles, infirmosque flores, ac fructus producant. Tempus eos excipiendi opportunissimum est mensis Julius; posteaquam flaccescentia folia in usum pecorum jam demessa sunt. Bulbi excepti, atque ab adhærentibus terreis particulis, radicibus, & cuticula purgati, in loco umbroso, libero perflatu gaudente, usque ad Augustum conservantur; tum vero separatis sobolibus, illis adactis, ad paratos novos lectos ordinate (uti supra dictum) una cum sobolibus depanguntur.

Mala, quibus Croci sativi bulbi quandoque affliguntur; externa alia sunt, interna alia. Ad illa pertinent animalia tum majora, uti boves, vaccæ, oves, sues, cervi, lepores, quæ subingredientia hortos, croco consitos, folia ante tempus depascunt; remedia adversus ea sunt sepes, quibus hortus cingendus est: cum minora, quo referuntur mures & talpæ; infesta hæc animalia arceri, aut imminui possunt, si circa fossatum horti sulcus profundior ducatur, huicque plures ollæ figlinæ aqua repletæ infodiantur. Morbi varii, quibus plantæ hoc genus vexatur, mala interna constituunt. Præcipuus, isque periculosissimus est Uredo, quæ facile cognoscitur autumno, si sollicitè radices omnes perlustrentur; quæ enim, ceteris jam foliis vestitis, non pullulant, malo correptæ sunt. Remedium nullum est efficacius, quam sublata messe bulbos omnes e terra eximere, sanos ab infirmis secernere, illosque in loco alio nonnihil remotiore depangere.

Culturam Croci sativi fructuosam admodum esse, vel inde colligere licet; quod tametsi auctor operis supra citati cetera inter plaustrum fimi, dempto vecturæ pretio 24. xr. in fl. 2. constituat, pondoque quodlibet croci a fl. 25. vænundari ponat, nilominus luculenter ostendat, jugerum unum 1600° □. mediocri anno 200. fl. puri lucri rependere. Veterum dum sationem Croci popularibus nostris ideo svademus, quod spectato pretio ejusdem maxima in ærarium Patris-familias

utilitas redundare possit, illud simul in memoriam revocandum esse duximus, quod rerum rusticarum peritissimi circa nova quædam in ruris scientia experimenta præcipiant; ut videlicet Croci sativi culturam in parvo periclitentur, & si successus experimento responderit, requisitoque numero Collectores præto haberi possint, tum primum opus in magno exerceant.

*Quaedam de plantis herbisque nonnullis commercio, et manufacturis utilibus.*

Tellus Hungarica multas Opes sinu suo fovet, ac alit, quæ otiose absque fructu delitescunt modo, reddituræ olim, adhibita tantilla industria, insignia emolumenta. Ut igitur ad hæc naturæ producta attentio dirigatur, præcipua, commercio, & manufacturis idonea, vegetabilia, quæ partim nullo serente crescunt; partim cultura multiplicari possunt, isthic recensere constituimus. Sūt autem sequentia:

*Acer Platanoides* (Lenne, deutscher Zuckerahorn) & *Acer pseudoplatanus* (Wasserahorn, Uhorn; Juhárfa; Dref) lignum maxime Articulariorum, torneatorum, & confectorum instrumentorum variorum usui servit; macerari enim in lixivio corrosivo potest, & a vermibus non eroditur. E trunco Vere aqua dulcis pro conficiendo sacharo obtineri potest.

*Acorus Calamus* (Kálmus; Kálmus; Prstvos-  
recz) in locis humidis palustribusque co-  
piose provenit. Radix ejus medicinalis est,  
possetque aromatum ultramarinorum vices  
supplere.

*Achæa spicata* (Schwarzfraut; Farkas-  
szőlő) baccæ pro conficiendo colore nigro  
idoneæ sunt.

*Agrimonia Eupatoria* (Odermennig; Párló-  
fű; Képest) pro cerdonibus utilis.

*Agrestis spica venti* (Äckerstrauch) api-  
ces florum viridi colore tingunt.

*Alchemilla vulgaris* (Frauenmantel, Lö-  
wenfuß; Groszlántalp-fű; Lenyoma Noha,  
Sujmuzka) est herba, quæ cerdonum usibus  
servit.

*Allium cepa* (Zwiebel; vörös hagyma) &  
*allium sativum* (Knoblauch; Fokhagyma) her-  
bæ aromaticæ Hungaris carissimæ; atque  
ideo apud nos frequentissimæ.

*Anchusa officinalis* (officinelle Ochsenzunge;  
ökör-nyelv, mszei atratzél; Wolomy Gazil)  
fiores alumini immixti viridem colorem præ-  
bent; radix autem illius rubro colore tingit.

*Anethum graveolens* (Dill; Kapor) aro-  
matis instar adhibetur.

*Anthemis tinctoria* (Färberfamilie; ökör-  
szem) dat colorem rubrum.

*Anthoxanthum odoratum* (Wiedgras; bor-  
ju-pázsit) pulveres hujus herbæ Nicotianæ  
æque in pulveres redactæ immixti, huic gra-  
tum conciliant odorem.

*Apocynum cannabinum* (Der Hanfartige Hundsfogel) productum præbet Canabibus simillimum.

*Arbutus uva ursi* (Sandbeere) Cerdonibus est utilis.

*Arundo phragmites* (Rohr; borda-nád, fedónád; Fest) fasciculi florum colorem viridem præbent.

*Asclepias vincetoxicum* (Schwalbenwurz; fetskefü, Sz. Lörintz-fü; Wlastowienit) lana, in qua semen involutum continetur, panno aliisque rebus conficiendis idonea, quemadmodum id D. Székely de Bibortzsalva in S. Nicolao ad Munkacsinum facto ipso docuisse dicitur.

*Asperula odorata* (Waldmeister; Erdeimester, tsillag sziv-fü; Swizel) & *A. tinctoria*; utraque colorem rubrum præbet.

*Avena sativa*, & *A. orientalis* (Hafer; Zab; Owe) commercio utraque utilis.

*Berberis vulgaris* (Weinschädling; Leány-som, Fái-soska; Drakowe Jahodi) baccæ egregium acetum præbent; succus earundem addito alumine & aceto colorem rubrum induit. Cortex, & radix corpora, præprimis Corium: colore flavo tingunt. Lignum Torneatoribus provariis usibus utile est.

*Brassica Napus*, sylvestris (Rübsen; karórépa,) Semen copiosum fundit oleum. Autumno sata nec ab herbis inutilibus affligitur, neque ab insectis depascitur.

(Continuabitur.)